



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE *UT MEMORIAE* SIMULACRUM B. M. V. IN CAELUM ASSUMPTAE, QUOD INTRA FINES

DIOECESIS SONSONENSIS-RIVI NIGRI PIE COLITUR IBIQUE IN TEMPLO

OPPIDI «MARINILLA» ASSERVATUR, DIADEMATE REDIMITUR PRETIOSO Ad perpetuam rei memoriam. – Ut memoriae proditum est, haud licet de praecipuo venerationis cultu dubitare, quo intra fines Ecclesiae Sonsonensis-Rivi Nigri praeclara excollitur imago B. V. Mariae in caelum Assumptae, quae inde ab anno MDCCCXXXVI in paroeciali templo loci «Marinilla» religiose asservatur, cum ceterum constet omnes illius paroeciae fideles Beatissimam Virginem in caelum Assumptam longe iam ante sibi dulcissimam elegisse apud Deum Patronam, in eiusque tutela ac fide etiam totius regionis incolas adhuc esse consuevisse. Quae cum ita sint, iure meritoque imago illa Deiparae B. M. V. dignissima videtur, quae maiore nunc aliquo decoretur honore, ipsaque hac de causa, cum Venerabilis Frater Alfonsus Uribe Jaramillo, Episcopus Sonsonensis-Rivi Nigri, cleri populi que sui vota expromens, a Sancta hac Sede recens petierit ut Nostro nomine et auctoritate sibi liceat memoratam B. V. Mariae imaginem praestanti diademate coronare, Ipsi, qui plus plusque in dies cultum et amorem tantae Matris augeri vehementer cupimus, peramplam adhibentes occasionem Nobis datam iucundissimo hoc anno Mariali, non dubitamus ex summa potestate Nostra Apostolica, qua providenter fungimur, harumque Litterarum virtute facultatem petenti facere, quam nunc illi facimus, ut Nostro nomine et auctoritate ipso dilaudato Beatae Mariae Virginis in caelum Assumptae simulacro pretiosam imponet coronam, qua vel magis in dilecta dioecesi Sonsonensi-Rivi Nigri tot filiorum christiana Fides confirmetur ac pietas, servatis de eiusmodi ritu ac formula liturgica lege praescriptis. Contrariis quibuslibet rebus non obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Iunii, anno MCMLXXXVIII, Pontificatus Nostri decimo.* AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis* © Copyright 1988 - Libreria Editrice Vaticana
